Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur.
Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum
est regnum celorum. Beati estis cum maledixerint uobis et per
secuti uos fuerint. et dixerint omne malum aduersum uos
mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces
uestra copiosa est in celis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui
fuerunt ante uos. Vos estis sal terre. Quod si sal euanuerit,
in quo salietur. Ad nichilum ualet ultra, nisi ut mittatur fo
ras. et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest
ciuitas abscondi super montem posita. Neque accendunt
lucernam et ponunt eam sub modio sed super candelabrum. ut
luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux uestra coram homi
nibus, ut uideant opera uestra bona. et glorificent patrem uestrum
qui in celis est. Nolite putare quoniam ueni soluere legem
aut prophetas. Non ueni soluere sed adimplere. Amen
quippe dico uobis. donec transeat celum et terra. iota unum
aut unus apex non preteribit a lege donec omnia fiant.
Qui ergo soluerit unum ex mandatis istis minimis. et do
cuerit sic homines. minimus uocabitur in regno celorum.
Qui autem fecerit et docuerit. hic magnus uocabitur
in regno celorum. Dico enim uobis. quia nisi habundauerit
iusticia uestra plus quam scribarum et phariseorum. non intrabitis in
regnum celorum. Audistis quia dictum est antiquis.
non occides. Qui autem occiderit. reus erit iudicio. Ego
autem dico uobis. Quia omnis qui irascitur fratri suo. reus erit
iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha. reus erit concilio.
Qui autem dixerit fatue. reus erit gehenne ignis. Si ergo
offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris
quia frater tuus habet aliquid aduersum te. relinque ibi mu
nus tuum ante altare et uade prius reconciliari fratri
tuo. Et tunc ueniens. offeres munus tuum. In illo t. B. d. i. d. s.
Esto consentiens aduersario tuo cito. dum es in uia
cum eo. ne forte tradat te aduersarius iudici. et iudex
tradat te ministro. et in carcerem mittaris. Amen di

In illo t. B. d. i. d. s.

In illo t. B. i. d. s. Amen